

P. Leo Bégin, Prov. Polon. (1878-1961)



P. Leo Bégin natus est die 29 oct. 1878 in Liffol-la-Grand in Lotharingia. A piissimis parentibus accepit religiosam educationem ac diligentem formationem intellectualem. Patres Congregationis SS.mi Redemptoris cognovit tempore missionis in Liffol praedicatae. Anno 1897 admissionem apud eosdem Patres petivit; atque 15 aug. 1897 habitum religiosum suscepit in Antony (archid. Parisiensis), ubi eo tempore domus Novitiatus erat.

Anno elapso, propter imminens servitium militare, sine votis in studiorum domum in Thury-en-Valois missus est; et demum 8 aug. 1899 vota emisit, Provinciae Gallo-Helveticae adscriptus. Anno 1901, conventibus religiosorum a gubernio suppressis, Fr. Leo Bégin simul cum aliis suis sociis e patria expulsus, in Belgio (Beauplateau) ulterioribus studiis incumbit. Peculiarem praedilectionem manifestabat pro studio Philosophiae. Ad sacrum Presbyteratus ordinem promotus est 27 sept. 1903 in Namur.

Illo tempore Vice-Provincia Polonica nuper condita consilium coepit propriam condendi domum studiorum. Deficientibus autem professoribus, Provincia Belgica necnon Provincia Gallica validum succursum praestiterunt, mittentes aliquos Patres munere Lectorum fungendos. Inter istos ex Provincia Gallo-Helvetica advenit (a. 1904) P. Leo Bégin, qui per plurimos annos tamquam excellens Philosophiae scholasticae Professor optime meritus est.

Primum quidem solum ad quattuor annos Provinciae Polonicae mutuo datus est. Sed videns quantopere populus Poloniae zelo sacerdotali indigebat, multiplicem campum ministerii apostolici inter Polonos tantopere adamavit ut ad mortem ibi permanserit et totam vitam suam et omnes vires suos et facultates intellectus haud ordinarias ac totum ardorem sui cordis apostolici huic iuvenili

Provinciae devoverit. Per annos fere 25, praeter Philosophiam etiam Ius Canonicum docebat, primo in Mościska, postea (ab anno 1906) in Maksymówka.


Qua indole vividissima, activa, ardenti erat dotatus, solo munere Lectoris parvuli in primis annis seminarii Polonici, ut patet, in suo ardore contineri non valuit. Quapropter, nactus opportunam occasionem, permittentibus Superioribus, laboribus apostolicis admirabili cum zelo incumberebat. Ob hunc finem haud parvum laborem suscepit, difficilem et sibi omnino alienam linguam polonicam addiscendi. Ita primum in confessionali, postea etiam in pulpito et etiam apud infirmos munus apostolicum fructuose exercebat. Fuit unus ex Redemptoristis qui post centum annos violenter interruptam Missionem Perpetuam a S. Clemente eiusque sociis inchoatam atque Varsaviae per viginti annos protractam, denuo susceperunt et per paucos annos (1906-1909) haud minore zelo ac fructu perficiebant, usque dum gubernium rassicum eos a Varsavia expulserit.

Primum bellum mundiale invenit P. Bégin in domo Studentatus, in Maksymówka. Cum studentes in Studentatum Austriacum transportari oporteret, et P. Bégin tamquam civis Gallicus sub occupatione exercituum foederatorum maiori libertate gaudebat quam sodales poloni, pretiosissima servitia praestabat, praesertim quando plures Patres a domibus suis deportati sunt, apud vulneratos vel pestilentia infectos sive in acie sive in nosocomiis decumbentes.

Anno 1919, Studentatus denuo in Mościska translatus est. Huc etiam venit P. Bégin. Valetudo studentium tunc temporis optima non fuit, multi aegrotabant. P. Bégin, qua praefectus infirmorum, manus labore plenas habuit. In fine etiam ipse aegrotavit. Medicus Superioribus consilium dedit ut eum, ad recuperandas vires, in Galliam mitterent. Ergo in patriam suam profectus est. Cum vere fraterna caritate a Patribus Collegii Les Sables d'Olonne, Provinciae Parisiensis, exceptus est. Maritima balnea, quibus fruius est, multum vires eius refecerunt.

Cum denuo in Poloniam reversus esset, Studentatum in Tuchów translatum invenit. Adhuc per aliquot annos Lector Philosophiae esse pergebat. Et insuper in ecclesia domus, Sanctuario mariano in regione valde noto, ampliorem apostolatam evolvit, praesertim in confessionibus audiendis: tamquam moderator spiritualis, animator ac formator aspirantium ad vitam religiosam et ad statum perfectionis exquisitus atque celebratus. Hoc tempore (1920-1928) magnum numerum aspirantium ad vitam claustralem, imprimis pauperum puellarum, quae propter suam paupertatem in patria non admittebantur, in conventus gallicos transmisit.

Anno 1928 adscriptus est domui Varsaviensi, ibique praeter assiduum laborem in confessionali operam dabat spirituali curae infirmorum in magno nosocomio, quod plus quam mille infirmos numerabat. Praeterea curam pastoralem suscepit in sic dictis tuguriis suburbanis Varsaviae, ubi miserrimi homines, immo integrae familiae, quas crudelitas belligerantium omnibus mediis ad vitam necessariis privaverat, magno numero confluebant et in incredibili miseria corporali ac spirituali vivebant. Vix dici potest quot lacrimas absternerit, quot contubernia illegitima ac concubinitus sacramento matrimonii sanaverit, quot oves perditas in ovile Divini Pastoris reportaverit! Supremae auctoritates, ipsi Nuntii Apostolici, Rev.mus Dom. Marmaggi, postea Rev.mus Dom. Cortesi, legatus



**Varsaviae - Ecclesia S. Clementis - Exsequiae P. Bégin
Sermo habitus est a Superiore Provinciali**

Reipublicae Gallicae, Exc.mus Dom. Noël, eius operam magni fecerunt et efficaciter adiuabant. Eo tempore erat quasi Cappellanus Legationis Gallicae in Varsavia et pro eius membris exercitia spiritualia praedicabat.

Altero bello mundiali exorto, iussu occupantium Poloniam relinquere coactus est. Profectus in Galliam, in domo studiorum Provinciae Lugdunensis (Sousceyrac) philosophiam docebat. Interdum, linguae polonicae gnarus, curam animarum Polonorum, tunc magno numero in Gallia dispersorum, exercere non



Exsequiae Patris L. Bégin



verebatur tanto zelo et spiritu sacrificii, ut bello finito gubernium polonicum Cruce benemerentium eum honoraverit.

Anno 1947 in Poloniam redux, reassumit ministerium apostolicum, etsi iam in forma paulum modificata, propter conditionem Poloniae, bello tantopere commutatam. Praeter ministerium in confessionali, operam suam dedicabat directioni spirituali praesertim religiosarum, sive in particulari sive pro integris communitatibus vel congregationibus, praedicando exercitia spiritualia, vel particulares conferentias. Immo Visitator extraordinarius interdum a Primate Poloniae deputatus est.

Sed progrediente senectute, propter sclerosim facultates paulatim deficere coeperunt. Post longam infirmitatem, quam cum exemplari patientia et conformitate cum voluntate divina patiebatur, obiit die 4 feb. 1961 Varsaviae ad S. Clementis. In exsequiis et corteo funebri partes habuerunt plura millia fidelium cum duobus Episcopis ac tota legatione Gallica.

Provincia Polonica Congregationis SS.mi Redemptoris Patrem Bégin colit ut unum ex eminentissimis suis sodalibus; et profundam gratitudinem Provinciae Lugdunensi servabit pro hoc pretiosissimo dono, quod ab ea ob generosum eius animum recepit.

LAD. SZOŁDRSKI - CAR. SZRANT, C.SS.R.